

**Dissertatio inauguralis medica sistens resolutionem casus
hysterico-epileptici.**

Contributors

Schulze, Johann Heinrich, 1687-1744.
Roediger, Johann Friedrich.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joan. Christ. Hilligeri, [1736]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dtqbxk3e>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
SISTENS
RESOLVTIONEM

CASVS HYSTERICO- EPILEPTICI

QVAM

FAVENTE SVMMO NVMINE

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

P R Æ S I D E

IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

VMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRI-
VILEGIIS MORE MAIORVM RITE
CAPESSENDIS

Ad d. Mart. Anni M DCC XXXVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

IOAN. FRIDERICVS ROEDIGERVS

SCHLIZA VARISCVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

Typis IOAN. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN MEDICINAM

DE

ASVS HYSTERICIS EPILEPTICIS

QUAM

FAVENTE SVMMO NVVRNE

IN ACADEMIA MEDICA

PRÆSIDENTE

IOHANNI BENEDICTO SCHULZE

DOCTORI PUBLICO

PHYSICO

CHIRURGO

ACADEMIE CÆSAREÆ NATVRÆ CVM SVBRO

REGIA SOCIETATE MEDICORVM

IN ACADEMIA

PRO GRADU DOCTORIS

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

AVGVSTO 1788

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

DE

EPILEPSIA HYSTERICA SEU UTERINA.

Historia Casus.



Obilis prosapia virgo annum ætatis vigesimum secundum vix transgressa, temperamenti sanguineo-melancholici, habitus corporis spongiosi paululum pallidi, satis vegetis ac sanis parentibus prognata usque ad duodecesimum ætatis annum sana vixit; Nulla quippe molimina ad hæmorrhagiam narium, nullos rheumatismos, nec ullum morbum alium præter paucas atque benignas variolas experta est. Post annum memoratum v. ad hoc usque tempus valetudinaria, imo constanter ægra existit. Nam primo scabie humida universali, post primam eruptionem mox quidem exsiccata, paulo post tamen iterum rerudescere laborare cepit. Hæc curis defœdatio tam rebellis atque pertinax fuit, ut nullis remediis, licet diaphoretica, sudorifera, speciatim essentia lignorum, æthiops mineralis, unguenta mercurialia, pediluvia, quid? quod ipsa salivatio per inunctionem externam excitata, illaque in usum vocata fuerint, obtemperaret, sed proinus post aliqualem remissionem rediret, & quidem aliquando, cum mercurialia largius adhiberentur, visus ob-

scuratione, elapsis 16. circiter diebus denuo tamen sponte evanescente, stipata. Cum itaque hæc scabie nullis remediis internis & externis, præprimis sudoriferis ultra biennium usurpatis cederet, sed sæpius recidens, circa novilunium plerumque exacerbaretur, laniari tandem negotium menstruum respicere, idem variis pharmacis, præprimis Elixirio proprietatis Paracelsi sine acido, in notabili quantitate successive profuso, nato, nec non fonticulo in pede excitato, promovenda tentarunt: verum cum & hic incassum laborarent, æstus pharmacorum tandem pertæsa rem soli naturæ commisit. Quo facto fluxus menstruus, licet parvus, sponte supervenit, & scabies quoque exsiccare ac penitus disparere cepit. Ab illo tempore fluxus catameniorum statis temporibus quandoque quidem contingit, sed nonquam sufficiens sanguinis quantitas, nec ille cum delirio & euphoria excernitur. Fluxum hunc, quod silentio prætermittendum cenleo, circa novilunium ingruentem vomitus, frigus corporis cum æstu alternante, lassitudo membrorum, somnolentia & plenaria appetitus prostratio ordinario præcedere, atque ipse deinde fluxus vix ultra triduum durare solet. Maxime autem notari meretur, ægram tertio ante novilunium die, appropinquante meridie, præsertim quando leviores corporis refrigerationem perpeffa est, ter vel quater intra vel 8. horarum spatium motibus convulsivis respectu temporis ac numeri irregularibus corripi. Hi subitus convulsivi in pede dextro, in quo fonticulus excitatus adhuc humiditate emanante scatet, incipiunt, deinde spinam dorsii atque caput invadendo, postea vix tamen per dimidium temporis minutum ad alter-

la

us cum insigni dolore detorquent. Pollices sub paroxysmo hoc convulsivo non retrahuntur in volam, sed solummodo rubore suffusa tandem pallescit. Conictio hæc violenta spastica sex abhinc mensibus fortior t, & præter pedem dextrum etiam brachium ac inferum latus valde adfligebat: ægra tamen tunc temeris, quando paroxysmus stantem aut sedentem coriebat, in positu illo corpus brachio sinistro suffulcire tenere poterat, jam vero & hoc beneficio orbata est, atque malum dextri quoque lateris partes invadinatur. Paroxysmus noctu inter dormiendum quandoque superveniens ronchis, respiratione anxia, & mortuum violento stupatus est; quod si v. vigilantem adit, symptomata adspectu non tam horrenda sunt, quoniam ægra pudibunda, præsertim peregrinis præsens illorum truculentiam paululum, ut videtur, cohibere valet: corpus quippe tunc solummodo rigidum dicitur, & os ab una aure ad alteram violenter distortetur. Aliquoties quoque accidit, ut ægra, quando sub paroxysmi accessu, nullo corpore suffulcire potest, concidens ita terrore perculsa fuerit, ut paroxysmus eam remiserit. Hactenus sæpius conquesta est, dormiendi tensivum ac convulsivum eodem modo caput cupare, quo alias pedem atque manum, & nasum quoque cum insigni cruciatu contrahere, deinde vero dentes ut pectus invadere, ut suffocationis periculum persæpesset, nec ullum sonum vociferari intendens edevaleret. Hisce tandem succedit extraordinarius casus ac manuum tremor, & singula hæc symptomata oratorio insultum convulsivum supra descriptum atque nec maxime noctu, præprimis ante decreascentem lunam

supervenientem subsequuntur. Pes dexter ad huc more laborat, & sub scarificatione magna sanguinis pia ex illo pede effluit. Ægra de cetero, ut vitam ætam & diætam paululum quoque attingam, cibis duobus quotidiani in Saxonia inferiori usus, nec non placitis ab incunabilis quidem ad suefacta est, iisdem tamen ctenus valedixit, & in prandio parum præter jusculum tenuius, tempore cœnæ vero nihil plane adsumit; extra ordinarium autem vescendi tempus, expeptis, & pellente appetitu depravato variis incongruis in quantitate majori uti videtur. Potulenta parcius haurit, urina proinde plerumque valde saturata existat, & alvi non levi segnitie laboret. Aere non adeo salubri obitum cubiculi angustioris super cellam subterraneam structi fruitur, & motum corporis quoque serio a Medicis commendatum vitæ tranquillæ ac paululum soliti amore ducta negligit, licet necessariis ad ambulandum rebus nondum destituatur. Somnus, cui plus justè indulget, inquietus est, atque ut plurimum terrificis immuniis turbatur. Ad animi adfectus præsertim terror ac mœrorem admodum proclivis existit, & suspicio quæ adest, eandem adfectu amoris clanculum laborat. Ordinaria molimina catameniorum eruptionem antecedentia sudatiuncula, alias apud illam rarissima, committitur, atque pili capitis, non obstante reiterata ac frequentissima purgatione, ob copiosas exhalationes pinguis mutuo implicati observantur. Sanguis, cujus immutationem venæsectione bis quotannis instituta, & alioquoties insuper cucurbitulis scarificatis pedibus ad placentiam procurare consuevit, vena extractus annis ab hinc duobus paululum mucosus, jam vero rubicundus paucis ser-

us apparet. Pullus in paroxysmo convulsivo parvus tardus, extra eundem vero magnus & tardiusculus existit. Haftenus interne usurpata fuerunt mixtura ex spiritu salis ammoniaci, tinctura succini & antimonii, infusum emmenagogum, quod nonnulla aromata ingrediuntur, species pillularum BECHERI, interpositis pulveribus salinis, nec non pulvis e lumbricis terrestribus & taleporum, essentia succini cum spiritu nitri dulci & essentia castorei mixta, ut & ad ventriculi imbecillitatem corrigendam essentia cort. citri, & aurantiorum inter prandium exhibita; Alvus obstructa sale Anglicano ad unam semis una vice adsumto, quoties necessarium fuit, reposita est. Externe praeter venæsectionem quandoque ministratam unguentum ab Illustri HOFFMANNO Notis ad Poterium descriptum applicavit, & discutien- sine pedem dextrum tumidum aqua Reginae Hungariae nixit, sensit tamen, plus eandem obesce, quam prodesse primarium malum citius reducere. Pediluvia quoque cum attulerunt levaminis, nec semel accidit, ut paroxysmus, quando ægra inter lavandum in somnum lapsa, pedes in aqua interea refrigerata ultra horæ spatium relinquebat, superveniret. Praeter superius memoratas causas sequentia quoque aliquid ad morbi productionem & augmentum contulisse videntur. Ægra aliquot ab hinc diebus incubo & terrificis insomniis frequentius vexata, dente Medico potum largiorem, tempore hyemali ex propria electione aquam frigidam ad 2. 3. imo quatuor mensuras quotidie hausit, & fonte amaro quoque usus nullam tamen incubi remissionem sensit. Autumno sequente novo malo, erysipelacea videlicet pedis dextera inflammatione post quatuordecim dierum decursum

in

in ulcus degenerante afflicta est, quod ulcus tamen proprio ausu unguento de cerussa consolidavit. Erysipelas adhuc bis pedem memoratum occupavit tunc vel sponte disparuit, vel pulveribus antifebris profligatum fuit. Rebelle interea hoc malum, quod huc curatione indiget, mihi occasionem præbuit, de epilepsia in genere & speciatim de Epilepsia hysterica uterina, qua ægra nostra quoque laborat, differendi. Exit Deus ter optimus, terque maximus, ut conaminis in sui gloriam & proximi emolumentum cedant.

§. I.

IN corpore humano, recte judicante HIPPOCRATES ^{a)}, *confluxus est unus, conspiratio una, & omnia consentia*. Consentunt quippe partes membranaceae membranaceis, vasculosæ cum vasculosis, musculosæ musculosis, glandulosæ cum glandulosis, & partes ætate dissimiles jure vicinatis, officii & communis cum dissimilibus; quemadmodum hæc multis mentis, si circumstantiæ postularent, demonstrari vinci possent.

§. II.

Non mirandum est, partes corporis humani consensum eiusmodi fovere consensum. Corpus enim chinam sistit præstantissimam, in qua cuncta numero pondere, & mensura facta eleganti nexu cohærent, homo, uti DANIEL MAJOR Professor olim Kilonis perbelle differit ^{b)} *rerum creatarum princeps & plu.*

^{a)} Lib. de aliment. ^{b)} In Dissert. de aurea Catena Jovis commissa Cap. II. p. 17.

um Naturæ Architectricis Cimelium est, nulla ingenii linea
tas emetiendum. Nam siue machinam quandam spirantem
caulicam velis cognoscere, siue pyrotechnicum contra, & fer-
naturæ ergastulum; siue molem figuris eumetricis innu-
is scatentem; seu magnifice constructam domum, thronum, &
ne sapientiæ acroaterium; siue arithmologium aut abacum
quam Pythagoricum; siue machinam perpetui motus, anti-
us facile perstituram, nisi Adamus a statu innocentie im-
ide defecisset; siue prospectivam tantisper qualemcunque
cretiores naturæ latebras; siue claustrum naturæ anemium,
acibus faucium fistula instructum; siue bilancem osseo-car-
n exacti æquilibrii; aut quidvis aliud: ubi vis inuenies, ut
edatatione plura, sic maiora eloquio. &c.

§. III.

Quamdiu in hac machina motuum æquilibrium &
ialis inter solida ac fluida nisus & renisus vigent, tam-
quoque sanitatis vigor, & quarumvis actionum inte-
as perdurant. Quamprimum vero memoratæ æqua-
ti inæqualitas succedit, & solida pressione sua resisten-
n fluidorum, aut fluida pressione sua resistantiam so-
orum nimium superant, varii morbi ingruunt, & mul-
imo interdum quælibet actiones turbantur.

§. IV.

Dictorum veritas inter alia per motus convulsivo-
lepticos abunde comprobatur. Truculentum enim
ue herculeum hoc malum, ab aliis quoque morbi co-
ialis, c) fontici, d) caduci, e) sacri ac divi, f) nomini-
B bus

) CELSVS Lib. 3. cap. 23. d) SENNERT. in institut. P. 3. Lib. 2.
Sect. cap. 9. e) Idem loco citato. f) HIPPOCR. de morbo
sacro. TRALLIANVS Lib. 1. cap. 15.

bus insignitum, primariam sedem in cerebri menibus figens in momento ferme fulminis, aut procella star ad universum genus membranaceum propagatur partes annexas cum horrenda violentia in motus vehementes & irregulares rapit, atque totam machinam quascunque in ea actiones mirificis succussionibus bat, ut hinc nonnulli idem haud incongrue cum te motu comparari posse putaverint. Quemadmodum nim, ut Senecæ verbis g) quodammodo utar *in terræ modo tremat, modo luxata subsidet, nunc in partes divisit, nunc amnes notæ magnitudinis convertit introrsus, nunc novos exprimit - - faciemque mutat locis, defert montes, surgit plana, valles extuberat, novos in profundo insulas erigit mille miracula movet*; Sic convulsio epileptica quo modo analogo tumultus in corpore animali excitat partem hic violenter constringit, ibi extendit, hic erit ibi laxat, fluida in hosce meatus copiosius ac vehementius impellit, in aliis influxum & circulum imminuit plane ad tempus sistit, & mirifica in toto producit symptomata. Superveniente enim paroxysmo epileptici æger quasi fulmine tactus concidit, corpus cum partibus suis mire ac crudeliter convellitur, caput non raro vimento illiditur, facies inflatur, dentes strident, & a firmiter quandoque committuntur, ut linguam ægrum interdum commordeant; sensationes pereunt & suspenduntur, oculi clauduntur, vel invertuntur, ac continguntur, aut prominent, & pollices in volam retrahuntur. Hisce plerumque, præsertim in statu graviori, jungitur respiratio suffocatoria, qualis laqueo suspensis,

g) In quæstion. natural. Lib. 6. cap. 4.

e interdum foetentis & rubellæ protrusio ante os, pulsus frequens, tremulus, durus, inæqualis, varius. Sæpius quoque in adolescentibus penis cum seminis eiectione egeritur, in aliis urina & excrementa vi extruduntur; hinc iam Aretæus inquit: *Triste medium fidius est ipsius invanis spectaculum; turpis & eius desinentia cum stercore & spontanea ventris solutione* (Sc. h). Malo mitioriistente, membra solummodo rigida evadunt, & ita exerte contrahuntur, ut sub insultu extendi nequeant. Cantlato paroxysmo ægri ab initio, ut cum Aretæo quar, membris segnes sunt, capitis gravitate premuntur, dissoluti sunt, languidi, pallentes, consternati animo, & ob lassitudinem morbi que verecundiam contriuntur. Plura de hisce videantur apud Aretæum l. c., Illinum Tract. de morbis capit: in oper. p. 564. & apud os, qui fusius de Epilepsiæ symptomatibus egerunt.

§. V.

Distinguit sese hoc malum specificis suis signis a morbis aliis, qui quadam symptomatum & causarum analogia gaudere videntur, videlicet a Catalepsi, Apoplexia, Incopie, & similibus. In catalepsi corpus repente ita get, ut ex rigido ferro, aut inflexili ligno compactum deatur; ægri illum corporis ac membrorum positum, non correpti fuerunt, imo priores gestus retinent, ut intuitus conversos putares. In epilepsia vero caput, ac membra reliqua, horrendum in modum convelluntur atque distorquentur. In apoplexia, quæ non raro tamen in epilepsia, aut hæc cum illa complicatur, ægrotantes eadem in terram dejiciuntur, & sensu ac motu voluntario

B 2

plus

b) Lib. de causis & Notis diuturn. adfect. cap. 4.

plus minusve privantur, ea tamen nequaquam viole prosternuntur, ut in epilepsia, sed tantum nullo corp suffulti collabuntur, nec corpus deinde tam crude concussionem dilaniatur atque disperditur; ut in epilepsia. In syncope denique pulsus cordis & arteriarum nec respiratio adeo quandoque imminuntur, ut vix vel indum plane non sentiantur, & æger pallidus oculis perfecte vel maxima ex parte clausis jacens diem suum obiisse videatur. In epilepsia contra palpitationes cordis, pulsus frequens, tremulus, durus & inæqualis, respiratio sonora ac spumida violentam capitis atque membrorum succussionem comitantur, & hunc morbum a syncope sufficienter distinguunt. Verum ulteriori symptomatum recensitioni non immorabimur, sed ad subiecti & morbi evolutionem progrediemur.

§. VI.

Horrenda in epilepticis tragœdia luditur quidem toto corpore, & partes quælibet in consensum tractantur: verum cum causæ primariæ sedes in capite & violentæ contractionis initium in dura meningi deprehendatur, non incongruum mihi videtur, si ipsam membranam subiectum primarium vocare audeamus. Hæc membrana una cum pia meninge ambitu suo, æque ac peritonæum atque pleura abdominis & thoracis virescit, cerebrum cum cerebello & medulla spinali involvit, defendit, & ab invicem distinguit; præterea cerebrum, ne mole sua in se ipsum concidat, aut nervos premat, juxta GALENUM *de usu part*: ligamenti vulcani de cranio, quasi de tholo suspendit, ¹⁾ & omnes ner-

¹⁾ Conf. SLEVOGTII Diss. de Dura meninge §. 1.

universum corpus distributos comitatur, ac motum
 idorum subtilium in illis, leniter in statu naturali suc-
 cando promovet; adeoque elasticæ huic membranæ
 tium quoque sensibilitas primario in acceptis feren-
 omniumque membranarum origo ab ea derivanda est.
 in quoque eiusdem propagines una cum nervis mu-
 losam corporis machinam & vasorum sanguiferorum
 icas copiose ingrediuntur, hoc & aliis quoque modis
 ltum, imo plus forsan, quam ipsum cor in sanguine
 pellendo valet: quemadmodum hoc inter alia in ira-
 dia fortiori luculentissime observare licet. Quando-
 dem sub ea ob vehementem duræ meningis contra-
 onem fluida omnia in cursu suo turbantur, sanguis &
 dum nerveum impetuosius influunt in fibras muscu-
 s & robur insigniter augent, imo latex sanguineus vi
 peripheriam corporis protrusus ruborem oculorum
 aciei, intumescuntianr venarum & similia producit.
 valentius adhuc dicta probantur per sequens experi-
 ntum a BAGLIVIO assiduo & accurato naturæ soli-
 um indagatore susceptum: Hic aliquando duos ca-
 molossos virium æqualium, per integrum mensem
 e pastos & satis vegetos sumfit & ambobus tabulæ al-
 tis, arteriam cruralem denudavit: Alteri deinde cra-
 m methodo chirurgis notissima terebrare, alteri vero
 ostis e directo supra cor positus cultro incisionem fa-
 e iussit, ut cor facto parvo foramine, quoties place-
 , pungere potuerit. Hisce peractis ordinavit, ut duo
 urgi eodem tempore ambobus canibus arterias cru-
 slanceola aperirent, unicuique suam arteriam. Quo
 o sanguis magno cum impetu ex arteria utriusque
 filiens arcum quatuor aut quinque circiter palmo-

rum altitudinis formavit, qui etiam dictam altitudinem per breve tempus servabat: tunc applicata sponsia rida arteriam obturavit. Deinde terebrato duram meningem, alteri v. per factam aperturam cor ipsum pungebat, & observabat sponsia ablata in actu puncturæ sanguinem ex arteria utraque cum impetu quidem profili longe maiorem tamen arcum in cane terebrato, quam in altero, quando cor puncturas sustinebat *k*).

§. VII.

Haftenus recensitis paulo accuratius pensitatis immediata motuum epilepticorum causa nemini amplius adeo obscura & incognita erit, sed liquido constabit, iam in inæquali solidorum ac fluidorum nisu & renisu, ut hoc clarius reddam, in præternaturaliter aucta & violenta duræ meningis & membranarum annexarum contractione consistere, ita ut pressio solidi membrana præfertim meningæi liquidorum ad contactum fibræ cerebri & nervosæ currentium resistantiam longe super eademque quaquaversum impetuose procurrere, aut iam hinc inde ad tempus consistere cogat. Dictum quod fuit in antecedentibus, duram meningem non solum omnium membranarum basin & originem existere, cum nervis quoque in universum corpus discurrere. blanda sua succussatione fluidum spirituosum promoveri ac circumpellere, & valide quoque sanguinis circuitum adjuvare. Positis hisce atque intellectis facile quod perspicere licebit, duram matrem per causam quandam ad contractionem iusto vehementiorem concitatam,

k) Vid. Tract. de fibra motrice in oper. p. 289.

im hunc violentum in momento quasi connexis membranarum reliquis, ceu appendicibus suis, & per illas deinde artibus coniunctis aliis communicare & illas in similem motum exorbitantem rapere: quo necessario deinceps fieri debet, ut quædam fluida impetuosius in fibras musculares influant, & in musculis motus constrictorio-concussorios augeant; quædam vero v. g. illa fluidi spirituosæ quantitas, quæ nervis sensoriis expandendis dicata est, in influxu & progressu suo ob violentam a forti dure meningis constrictione enatam nervorum quorumdam compressionem intercipiatur ac retardetur, & utroque modo tot horrenda symptomata, quæ partim in motuum exorbitantia uti v. g. vehementes capitis ac membrorum agitationes &c. partim in motuum impedimenta ac remora, uti sensuum abolitio &c. consistunt, enantantur. Confirmant hæc posteriora DVRETUS, & HOFFMANNUS; Prior enim inquit: *Cerebrum epilepticum contrahit eas partes, quæ iussu nostro moventur, nempe musculos: resolvit vero, quæ sua sponte & independentem a nobis, ut ventriculus, intestina &c.* l) Posterior vero multo accuratius & quidem sequentem in modum de illis diffinit: *Quoniam autem, scribit m) dura mater omnium fere anatomicorum consensu radix & principium est omnium membranarum: aliter fieri nequit, quin arctum cum ipsis foveat consensum, quæ in mutua inordinatarum (nimirum in epilepsia &c.) motionum communicatione consistit. Quum autem ex auctiori duræ matris spasmo, nervi potissimum, qui ad sensoria abeunt, fortiter constringantur, ut omnis fere liquidi tenuissimi influxus intercipiatur: fit inde, ut imperfecta ac completa*

l) Fol. 337. m) In Med. Syst. Tom. IV. P. III. p. 9.

pleta epilepsia omnes tam interni, quam externi sensus cessant. Contra vero ad organa inotoria maior atque vehementior fit huius mobilissimi fit impulsio atque influxus: Et hinc terribilis illa artuum & musculorum distensio, contractio, succussio & tatio erit deducenda &c.

§. VIII.

Quaecunque memoratam nifus & renifus inæqualem sive positive, sive privative inducunt, & violentiam duræ meningis, aliarumque membranarum contractionem concitant, causæ mediatae proximiores audiunt. Causis positivis (potioribus stimuli, & commotiones pathologicae graves: privativis vero excedentes, humorum naturalium laudabilium evacuationes quas alii quoque exinanitio vocant, accensentur.

§. IX.

Sub stimulorum nomine quælibet corpora, sive subtiliora, sive crassiora, comprehenduntur, quæ figula acuta ac rigida gaudent & prædictas membranas, pungendo ac vellicando ad constrictiones vehementes impellunt. Corpora hæc stimulantia vel intrinsece vel extrinsece duram matrem in epilepsia idiopathica, vel etiam alias membranas in quibusdam sympathicæ speciei vellicant. Ad stimulos intrinsecos spectant primo armonia quævis salina, quæ ab humoribus circulantibus secreta & ad membranas cerebri delata fibris sensibilibus & elasticis infigitur, & continuis puncturis easdem contractionem præternaturalem ac vehementem contrahit. Abunde hæc per causas quasdam occasionales etiam probatur. Notum quippe est, frequentissime neæ capitis, scabiei universali *) impuritatibus arthriti-

*) Vid. Ill. HOFFM. Med. consult. vers. lat. P. I, cap. 28,

et retrogressis vel imprudenter retropulsis, variolis, orbillis, maculis purpuratis, petechialibus aliisque, exanthematicis, vel non satis expulsis vel recedentibus, ul-
tribus inveteratis consolidatis, nec non febribus inter-
mittentibus intempestive suppressis o) epilepsiam suc-
cedere: nec minus cognitum est, lvi venereæ confirmatæ
quandoque motus epilepticos complicari p) & sic porro.

§. X.

Enascitur persæpe vellicans hæc acrimonia salina ex
ægressa vel concomitante nimia vasorum cerebri a-
guine copioso ac spisso, vel acri cacochymico reple-
one; hinc etiam observamus, subiecta plethorica &
cacochymica frequentius epilepsia, aliisque motibus
convulsivis corripitur. Quando enim sanguis copiosus,
issus & impurus vasa cerebri præprimis sinus duræ me-
ngis replet, non tantum mole sua cerebro & meningi-
s molestus est, & facile ob spissitudinem periculosas
obstructiones parit, sed etiam, quod hoc loco maxime
notandum venit, sub stagnatione serum acre causticum
mittit, quod deinde spiculis suis fibris duræ meningis ac-
ris infixis convulsivas constrictiones provocat. *Nam
proprium est sanguinis circulantis, quando tardiori motu pro-
cedit, ut serum ab eius sinu secernatur vel maiori vel minori
quantitate, prout motus erit magis vel minus retardatus q).* Fa-
lus memoratæ repletiones & contractiones violentæ
accidunt, si consuetæ sanguinis evacuationes tam natura-
les, quam artificiales vel deficiunt, vel suppressæ sunt, vel
negligentia quadam omittuntur & sanguis ex parti-
bus

C

o) Id. Lib. cit. Cap. 29. p) WEDEL. in Pathol. gener. p. 629.

q) BAGLIV. in oper. pag. 330.

bus inferioribus obstructis aut spastice adfectis regur-
tare, atque copiosius & impetuose versus capitis par-
tē promanare cogitur, aut corpus cacochymicum exis-
tit. In priori enim casu non solum spasmus ob nexum mem-
brarum atque nervorum arctissimum superioribus par-
tibus ab inferioribus communicantur, sed molesta quoque
sanguinis moles ad caput per spasmos urgentes propu-
la vasa cerebri & meningum nimium implet; in posteri-
ori vero corpus crassa & acri lymphæ ac seri impuritas
scatet: hinc non mirandum est, humores eiusmodi
per pravos meatus & exilissima cerebri vascula transeun-
tibus facile hinc inde subsistere, stagnare, & particulis suis ac-
tus, rodentibus ac rigidis duram meningem ad contra-
ctionem convulsivam impellere.

§. XI.

Inter stimulos frequentes epilepsiæ idiopathicæ a-
utores porro locum inveniunt vermes intra cranii cavi-
tatem stabulantes, ulcera cerebri & capitis interna, r) g-
raviores capitis & cranii per *vulnerationem, fracturam, percus-
sionem, depressionem* &c. *inductæ lesiones, festucæ cranii du-
ram matrem inflicte, imo spinæ ossæ in basi cranii, & subinde in si-
falciformi vel lateralibus enatæ* - s) pulveres sternutato-
res subtiliores & acriores nimium usurpati, halitus salinis
fulphurei elastici & acres per nares intra cerebrum admi-
si, & huius generis alia per experientiam, & Medicorum
observationes comprobata, quæ vellicationem aut, vi-
lentam distensionem efficiendo duram matrem ad veh-

r) FERNELIUS Lib. 5. de part. sympt. ac morb. cap. 3. & 2. de a-
dit. rerum causi cap. 15. s) Vid. Illustr. DN. HOFFM.
Med. Syst. Tom. IV. part. III. pag. 10. & 13.

entem contractionem adigere valent. Quod vermes
idem attinet, dubitabunt forsitan nonnulli, an illi in ipso
oite nidificantes quandoque motuum epilepticorum
asa existant: verum & de hoc nequaquam dubitandum
t, quum varia argumenta ab observatione desumpta id
ficienter comprobent. Certum enim est, vermes ali-
ando intra cranii cavitatem repertos fuisse; rationi &
perientiae quoque respondet, vermes rostris suis acutis
embranas cerebri ad epilepticam constrictionem velli-
re posse. Prius HOLLERIVS ^{e)} BENIVENIVS ^{u)}
ANCISCVS HILDESHEMIVS, ^{x)} alique obser-
tionibus suis confirmant; posterius vero inter alia M.
ELWINGII relatione ANNALIBVS WRATISLA-
ENSIBVS ^{y)} inserta non parum illustratur. Hic quip-
sapius reiterata experientia ac propria inspectione e-
ctus l. c. narrat, alces in Borussia, Livonia, aliisque re-
onibus septentrionalibus frequentissime, quod alias et-
n iam notissimum est, epilepsia corripitur, & hanc epile-
am a certis muscis seu potius crabronibus in magna
pia intra cranii cavitatem in ipso cerebro reperiundis
oduci. Quando caput aperitur, ingens quandoque
iusmodi insectorum turba diversae magnitudinis extra-
ur, imo ab animalibus vivis per saepe sternutationis be-
ficio, praesertim mense Augusto, quo alces vehemen-
res & frequentius redeuntes paroxysmos epilepticos
periuntur, haec insecta numerosissime per nares expel-
itur. Notari quoque adhuc debet, crabrones memo-
os etiam in cute alcium, imprimis circa spinam dorsi
nidificantes.

e) Lib. I. in schol. ad cap. 54. u) Observ. 100. x) De cerebri & capi-
tis morbis int. p. 45. y) Part. VI. ann. 1718. pag. 1746.

nidificare, & certis temporibus maxime autem in Augusto cutem seu corium perforare. Qua via hæc insectum nulla generatio æquivoca admitti queat, in craniæ cavitatem perveniant, nondum satis exploratum est. Probabile tamen videtur, crabrones autumnæ appropinquante ovula sua aculeo genitali per exigua ossis cribra foraminula in cranii cavitatem protrudere, ubi deinceps exclusa progenies verminosa crescit, & supra dictas dura matris rosiones ac vellicationes efficit: quod fusius forsitan, si tempus, spatium, & instituti ratio prolixiorem ventilationem permetterent, demonstrari posset.

§. XII.

Quum hætenus præcipua de stimulorum naturæ varietate in epilepsia proposuerimus, ceu necessarium adhuc restare videtur, ut fusius quoque probemus, dura meningis, & per eam deinceps reliquarum corporis membranarum contractiones convulsivæ epilepticas per stimulos eiusmodi concitari posse. Optime hoc fieri poterit per experimenta a Medicis doctis & curiosis cum vis animalibus suscepta. Placent præ ceteris experimenta sæpius allegati BAGLIVII, quæ in *tractatu de fibra motrice* 2) recenset. Hic nempe, cum crania ovium rectorum cultro subtilissimo attolleret, non solum ordinatam & continuam pulsationum seriem in dura mater spectavit, sed etiam, cum diversimode illam acubus tenuissimis pungeret, & acres liquores instillaret, observavit, in omnibus fere partibus, quando dura mater a dura pungebatur, motus convulsivos excitari, & quidem illo latere, in quo ipsa puncturas sustinebat, vehementi-

fimo

2) In Operibus p. 274, 277, 278, &c.

imos. Idem accidebat, si a læva pungebatur. Generaliter tamen labefactato post puncturam meningis tonus confusio incredibilis in partibus omnibus infernis tantum sentientibus, quam se moventibus nascebatur, primo quidem in capite, deinde in reliquis. Factis quoque, ut ille .c. pergit, variis terebrationibus in vertebra spinalis medullæ canis, suis, leporis, &c. animadvertit, quod spiritus & leniter aromatica statim post firingationem levem quidem tremorem excitaverint, paulo tamen post animal e hilariter, & magis vivide gesserit ; At instillatis liquoribus acidis, præsertim concentratoribus v. g. spiritu virioli, nitri &c. statim tremores, convulsiones, ululatus, tumores abdominis, vomitus, stupores, paralyfes, impotentia ad motum, urinæ aut fecum copiosæ excretiones, aliquando totales eorundem suppressiones, & hisce similia pro varietate læsionis & punctiōis meningum spinalis medullæ orta fuerunt.

§. XIII.

Præter stimulos hætenus recensitos, qui duram meningem immediate adficiunt, & epilepsias idiopathicas producunt, plures alii adhuc cogniti sunt, qui per consensum agunt: quo pertinent vermes in intestinis, spasmi graviores ventriculi, hysterici, hypochondriaci, colici atque nephritici, otalgia & odontalgia intensior, dolores graviores a dentitione difficili in infantibus, partus difficilis, puncturæ nervorum, semen acre retentum, ictus scorionum, morsus canis rabidi, aliorumque animalium venenatorum, venena mineralia caustica adsumta & huius generis alia, quorum explicationem uberiores in præsententi prætermittimus, præsertim cum singula partim ex consensu membranarum & nervorum arctissimo, partim

ex materiæ peccantis translatione ad caput facili negotio explicari queant.

§. XIV.

